



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. IV. Vtrum hoc Sacramentum debeat confici ex pane azymo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

D. Thom.

Siligo est
tritici solis
acciden-
bus ab alio
differens.

23.

Far est de-
licatissima
species tri-
tici.Spelta vi-
detur parti-
cipare na-
turam tri-
tici.
In praxi ta-
men nō vi-
detur per-
mittenda
consecratio
in ea.

24.

Ad valorem
debet esse
panis ex fa-
rina triti-
cea, & aqua
naturali co-
ctus &
igne coctus.
Corollaria.

De priori genere filiginis nullus merito potest dubitare quin sit materia consecrationis. De posteriori negant varij; affirmant plures cum D. Th. hic ad 2. qui, ut patet ex eius discursu, loquitur de secundo genere filiginis. Ratio est quod siligo sit verè triticum solis accidentibus ab alio differens propter soli siccitatem, nam diuersitas inter filiginem & triticum vulgò dictum non est tanta in figura, proprietatibus, & virtute, ut mutet speciem, vel saltem proximum genus, atque adeo tollat veram tritici rationem.

Petit 2. utrum far sit materia consecrabilis.

Negat S. Th. responsione ad 2. Vasquez disput. 170. cap. 3. nu. 19. & plures alij. inclinat Viç. num. 55. Affirmant plures alij. Palud. dist. 11. quæst. 1. art. 4. conclus. 3. Sotus dist. 9. quæst. 1. art. 3. Henriquez lib. 8. cap. 9. num. 1. Alanus suprà. Estius dist. 8. §. 6. versu, eadem porro ratio, quæ sententia est longè probabilior, & nisi auctores alterius sententia aliter illud nomen accipiant, quàm communiter sumatur, non videtur posse subesse vlla dubitatio, cum far sit delicatissima species tritici.

Petit 3. utrum spelta sit materia consecrabilis, seu panis ex spelta confectus?

Negat S. Th. suprà. Vasquez & alij, inclinat Viç. suprà. Affirmant Palud. suprà. Caiet. hic, Sotus art. citato §. spelta verò, Alanus, Henriquez, Estius locis citatis & plures alij, quæ sententia speculatiue est probabilis, quia spelta videtur naturam tritici participare, & odore, sapore, & efficacia parum differt à tritico prout vulgò sumitur. Dixi speculatiue quia practicè non videtur vllò modo permittendum ut consecratio fiat in huiusmodi pane, cum enim varij sentiant non esse materiam aptam consecrationis, consecratio merito deberet censi dubia.

Aduerte 1. ex D. Th. ad 3. si grana tritici alia ita permisceantur, ut hæc præualeant, vel penè æquent grana tritici, panem inde confectum non esse aptam materiam consecrationis, secus si notabiliter præualeant grana tritici. D. Th. passim consentiunt alij; ratio est quod priori casu panis non possit dici triticus, posteriori verò possit. diligentia tamen est adhibenda ut quantum fieri potest purum triticum accipiat pro pane consecrando.

Aduerte 2. ex solutione ad 4. panem idoneum consecrationi non debere esse corruptum, sed debere naturam panis retinere: si enim corruptio tanta sit ut species panis solvatur, quod cognosci poterit ex sapore, colore & alijs, nullo modo est materia consecrabilis: si non sit tanta corruptio, poterit quidem valde consecrari, consecrans tamen grauiter peccabit propter irreuerentiam in Sacramento commissam, quemadmodum & grauiter peccat, qui consecrat dubiam materiam.

Aduerte 3. præter naturam granorum, requiritur etiam modum. cum ergo panis vidualis debeat fieri ex aqua naturali & calore ignis coqui, ad valorem consecrationis requiritur ut sit panis ex farina triticea & aqua naturali confectus & igne coctus, ut communiter Doctores cum S. Th. art. 7. ad 3.

Hinc massa cruda, item elixa, frixa non est materia consecrationis, similiter liba, placenta, panis ex aqua rosacea confectus, ita D. Th. suprà & alij. licet de ultimo contrarium sentiat Caiet. in dictum art. 7. & Sa verbo missa num. 4. ratio est quod talis panis non sit vidualis. vnde nec erit consecrabilis panis in cuius consecratione apponuntur oua, butyrum, aromata, succi herbarum, vinum, si videlicet hæc apponantur in notabili quantitate: si

enim parum aquæ rosacæ vel butiri apponatur, non irritatur consecratio, quamuis sit illicitum materiam destinatam consecrationi huius Sacramenti hæc apponere.

Dices massa cruda & panis non differunt specie; ergo.

Resp. quidquid sit de antecedente neg. consecrationem, quia ut materia sit vel non sit consecrabilis, non tam est spectanda differentia physica, quàm moralis & in ordine ad communem vsum, cum ergo materia huius Sacramenti sit verus panis & vidualis, quæ ratio seu conditio non conuenit massæ crudæ, elixæ, placenta, non sequitur ex his corpus Christi posse confici, eò quod panis sit materia apta consecrationis.

Peculiaris difficultas est de amydo. Palud. suprà conclus. 5. affirmat esse materiam consecrationis, similiter Caiet. hic in fine, Henriquez suprà, Sotus art. citato 2. propositione de hac re, licet dubitauer. Negat D. Th. hic ad 4. & cum eo communiter Theologi, quæ sententia est omnino verior, pro cuius intelligentia:

Notandum amydom fieri expressione medullæ ex ipso tritico madido, quæ postea exsiccata vertitur in farinam, ex qua fit panis: vnde patet longè aliter mutari triticum, quàm cum ex eo fit farina ex qua fit panis, neque ea confectio tendit ad panem vsumalem conficiendum; ergo consecratio fieri nequit in amydo concocto.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hoc Sacramentum debeat confici ex pane azymo?

PRIMA conclusio. non est de necessitate Sacramenti quod panis sit azymus vel fermentatus, quia vtrouis modo fiat panis, veram rationem panis potest retinere.

Secunda conclusio. conueniens est ut ea in re vnusquisque sacerdos seruet ritum seu consuetudinem suæ Ecclesiæ: vbi

Notandum hac loquendi forma S. Th. non tantum significare, quid sit decentius, sed velle explicare quid ex necessitate præcepti fieri debeat. nam in corpore dicit, vnde sicut peccaret Presbyter in Ecclesia Latinorum celebrans in pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans in pane azymo, quasi peruertens Ecclesiæ suæ ritum.

DVBIUM I.

De pane necessario necessitate Sacramenti?

PETITVR, an is necessariò debeat esse azymus, an verò fermentatus? qua in re varij errores inueniuntur.

Primus est Græcorum qui ante annos sexcentos censent panem fermentatum ita esse necessarium, ut consecratio tentata in azymo sit irrita, de quo errore videri potest Leo 9. epist. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum cap. 5.

Secundus error est quod panis azymus sit de necessitate Sacramenti respectu Latinorum, fermentatus verò respectu Græcorum, ita ut consecratio sit nulla, si Latinus tenter consecrare fermentatum, vel Græcus azymum. tenet Glossa in cap. Litteras de celebratione missarum, pro quo citat quemdam Hugonem.

Tertius

Tertius error est panem azymum esse materiam necessariam huius Sacramenti respectu omnium, qui error tribuitur Armenis. contra hos errores Statuitur conclusio catholica, quod materia sufficiens ex qua hoc Sacramentum valide potest confici, sit omnis verus panis, siue sit azymus, siue fermentatus. definitur in Conc. Flor. in decreto fidei, ubi dicitur: *Item* (scilicet definimus) in azymo, siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici. eadem veritas patet ex epist. citata Leonis 9. ubi sententiam Græcorum vocat hæreticam, patet 2. ex communi sensu totius Ecclesiæ Latinæ, contra quam sentire non licet, ut patet ex c. *ad abolendâ*, de hæreticis. Ratio est quam assignat D. Th. quod videlicet panis triticeus tam fermentatus, quam azymus, sit verus panis, & quidem vtilis, de fermentato res est clara, de azymo patet eod quod Iudæi totâ Paschali festiuitate debent vesci azymo, ut patet ex cap. 12. Exodi & alibi: quauis ergo panis soleat fermentari, quando magna quantitate est sumendus, nihilominus azymus etiam est vtilis.

Ex quo patet Latinum in Ecclesia Latina validd consecrari in fermentato; nam materia consecrationis sufficiens talis est respectu omnis loci & omnis sacerdotis.

D V B I V M II.

De pane necessario ex præcepto pro consecratione.

PLVRES sunt in hac questione sententiæ. Prima est vnumquemque sacerdotem siue Græcum, siue Latinum debere ex necessitate præcepti vti azymo, ita ut Græci videntes fermentato grauiter peccent. tenet Scotus dist. 11. quæst. 6. in fine Gabr. lectione 34. in can. missæ littera G, in fine, & alij.

Secunda est Latinos quidem teneri ex præcepto vti pane azymo, Græcis tamen esse liberum vti azymo, vel fermentato; pro qua citatur Pal. dist. 11. citata quæst. 1. art. 4. concl. 6. sed licet verbis id videatur docere, re tamen sentit cum Scoto.

Tertia sententia est hereticorum nostri temporis qui censent panem fermentatum esse aptiorem materiam consecrationis, quam azymum, Calu. lib. 4. institutionum cap. 17. §. 43.

Sed certum est non posse sacerdotem pro arbitrio vtriusque panis vti, sed vnumquemque teneri sese conformare consuetudini suæ Ecclesiæ. ita statuitur in Conc. Flor. loco citato, ubi dicitur, *Sacerdotes in altero usum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suam Ecclesiæ, siue occidentalis, siue orientalis consuetudinem.* vide Latinos in Ecclesia Latina consecrans in fermentato grauiter peccat, nam ut prædicto loco indicat Eugenius 4. illa consuetudo debet seruari, id est, ex obligatione seruanda est; cum autem materia sit gravis, gravis est obligatio. quod Confir. ex graui poenâ, quæ cap. litteras, de celebratione missarum decernitur in eum, qui consecrauerat in fermentato. similiter Græcus in Ecclesia Græca obligatur consecrare in fermentato, & secus faciens grauiter peccat. ita D. Th. & Caier. hic, & plures alij, quia Ecclesia Latina approbat ritum Ecclesiæ Græcæ, eumque vult seruari à Græcis inter suos agentibus.

Et quamuis doctrina Græcorum, quâ iudicant fermentatum necessitate Sacramenti adhibendum

esse, falsa sit & hæretica, & ut talis reprobata ab Ecclesia Romana, ipsa tamen praxis consecrandi in fermentato non damnatur ab Ecclesia Latina, sed potius approbatur ut honesta, quatenus non prouenit ex errore. Græcus ergo tenetur hunc ritum seruare, quamuis non prout oritur ex errore posteriorum sæculorum.

Dices Ecclesia Latina consecrans in azymo videtur Iudaizare.

Resp. neg. assumptum, quia non vitur pane azymo eo ritu quo utebantur Iudæi, neque ex vi & præcepto legis antiquæ. ceterum Ecclesia nō prohibetur usurpare aliqua, quæ erant in vfu in antiquo testamento, si iudicat illa suo fini conuenientia. nulla ergo ratione ostendi potest quod non liceat Ecclesiæ Latinæ vti pane azymo, quod à temporibus Apostolorum fuisse in Ecclesiâ usurpatum docet Leo 9. epist. citata.

Ex quo redargui potest impudens mendacium Caluini asserentis vsque ad Alexandrum Ecclesiâ vsam fuisse fermentato, illi verò, ut nouo spectaculo admirationem excitaret, introduxisse azymum, quod ex dictis constat esse falsum: siquidē Leo 9. fuit ante Alexandrum 2. & Apostoli ante Alexandrū 1.

Adde, quod licet Ecclesiæ Græcæ non desint congruentiæ sui ritus, quod videlicet per panem fermentatū apte videatur designari natura diuina delectescens in humana: Ecclesia tamen Latina habeat sui ritus aptas congruentias, immo magis elegantes. Prima est, quod per panem azymū denotetur puritas carnis Christi absque peccato ex immaculatâ Virgine concepti. Secunda, quod idem panis optime denotet, quâ puritate sit accedendū ad hoc Sacramentum. Tertia quod cōueniat huic mysterio, ut in eo adhibeatur quod est purissimū in suo genere, panis autē azymus longè purior est fermentato, & magis immunis à corruptione. Adde quod Ecclesiâ Latina vtatur azymo ad imitationē Christi Domini, de quo dubio sequenti. plures cōgruentias videre licet apud Gabrielem lect. 34. littera G.

Petes an Latinus agens inter Græcos possit celebrare in azymo, vel Græcus agens inter Latinos possit celebrare in fermentato?

Resp. distinguendo: vel enim tales agunt, tanquam incolæ loci, in quo degunt, vel tanquam peregrini: item vel habent in eo loco Ecclesiam gentis & ritus sui, vel non habent.

Dico 1. Græcus qui tanquam incola versatur inter Latinos non habens Ecclesiam propriam ritus Græcanici, tenetur consecrare in azymo, quia talis est verè sacerdos Ecclesiæ Latinæ ratione domicilij, unde tenetur celebrare iuxta ritum Ecclesiæ Latinæ. idem proportionem dicendum de Latino hac ratione inter Græcos agente, quod videlicet teneatur celebrare in fermentato.

Dico 2. si Græcus qui versatur tanquam incola inter Latinos, versetur in Ecclesiâ vel monasterio ritus Græcanici, non potest consecrare in azymo, sed debet in fermentato iuxta ritum Ecclesiæ Græcæ, quia eo casu censetur esse in Ecclesia Græca. idem proportionem dicendum de Latino quoad azymum. pro quo

Notandum in territorio Latino versari aliquos Græcos per modum congregationis religiosæ, vel aliter habere Ecclesiam propriam: similiter inter Græcos interdum agere Latinos habentes propriam Ecclesiam, atque adeo in alieno solo conflare vnū corpus moribus & ritibus distinctum ab alijs, qui-buscū cohabitant. hi non possunt in celebratione missæ conformare se externis, inter quos degunt,

Ecclesiā prohibetur usurpare quædā, quæ usurpabat vetus testamentum.

Leo 9.

Redarguitur Caluinus.

Congruentia panis azymi.

30.

Difficultas.

Græcus inter Latinos incola, nec habet Ecclesiā propriam, consecrare debet in azymo.

Secus si habeat Ecclesiam ritus Græcanici.

Eadem est ratio de Latinis.

sed consuetudini suæ Ecclesiæ, id est Latinus Latinæ, Græcus Græcæ, quia censentur ad illas Ecclesias pertinere, & censentur esse in suâ Ecclesiâ.

Dico 3. qui more peregrinorum versantur inter alios, possunt morem suum seruare in celebrando. v. g. Latinus per Græciâ transiens potest consecrare in azymo, & Græcus transiens per Ecclesiâ Latinâ potest consecrare in fermentato, quia consuetudo ita est introducta etiâ Romæ sciente & probante summo Pontifice, vt Græcus transiens per Ecclesias Latinas possit celebrare more suæ Ecclesiæ.

Sed difficultas est num teneatur celebrare iuxta morem suæ Ecclesiæ? Affirmat Vasq. disp. 174. c. 3. num 28. quia iuxta decretum Eugenij 4. vnusquisque sacerdos debet conficere secundum ritum suæ Ecclesiæ, dum autem peregrinatur dicitur illius Ecclesiæ, à quâ peregrinatur. sed verius est quod dicunt alij, scilicet eo casu posse sese conformare consuetudini eorum, apud quos versatur non habens Ecclesiam propriam. ad decretum Eugenij.

Resp. illud intelligendum de sacerdotibus in sua Ecclesia residentibus, non verò de casu, quo aliquis abest à propriâ Ecclesiâ.

Contra secundum dictum potest obijci, quod Græci per modum congregationis commorantes inter Latinos, & inter eos habentes Ecclesiam, non teneantur iuxta ritum suæ Ecclesiæ celebrare. nam Leo 9. epist. citatâ, cap. 29. monens vt vnusquisque secundum consuetudinem suæ regionis permittatur agere, etiam dum alibi versatur, satis indicat posse aliter fieri.

Resp. neg. assumptum, quia sermo Pontificis non dirigitur ad sacerdotes monendo eos quod possint sequi suæ regionis more in celebratione Sacri, sed dirigitur ad Patriarcham Constantinopolitanum, quem reprehendit quod vexaret Latinos sibi non consentientes in ritibus Sacri, dicens Græcos, qui versantur in Ecclesia Latina, permitti agere iuxta morem gentis suæ, atque adeo Latinis debere permitti in Græcia celebrare iuxta ritum Ecclesiæ Latinæ, nihil in alterutram partem decernens num Græcus in Ecclesia Latina, & Latinus in Græcia ad id obligetur, necne: quam obligationem collegimus supra ex alio principio.

D V B I V M III.

Utrum Christus consecravit in azymo?

32. **P**RÆCIPVVM argumentum Græcorum ad probandum materiam legitimam, ex quâ corpus Christi potest confici, esse panem fermentatum, sumitur ex facto Christi, nam, vt patet ex epist. Leonis 9. aliquoties citatâ, ante schisma Græcorum eorum Ecclesia vteretur pane fermentato, Latinâ vteretur azymo, quando schisma facere cœperunt, adeo improbarunt ritum Ecclesiæ Latinæ, vt assererent illi repugnare diuinæ institutioni, eò quod Christus consecrasset in fermentato. videri potest Euthymius cap. 63. in Matth. & Nicephorus lib. 1. historiæ c. 28. Porro Christum consecrasse in fermentato videtur probari ex eo quod non celebravit hoc mysterium luna 14. ad vespem, sed 13. id est pridie diei lege præscripti ad Paschâ celebrandum, quod ostenditur 1. ex eo quod Matthæus, & Marcus narrant in concilio Iudæorum decretum fuisse, ne Christus cōprehenderetur in die festo, ne forte tumultus fieret in populo, qui frequentissimus ad solemnitatem Paschalem solebat conuenire. 2. ex eo quod Ioan. 13. dicatur: *ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem &c. & cœna facta, cum diabolus iam mi-*

fisset in corpore, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes &c. 3. ex eo quod apud eundem Euangelistam c. 18. dicatur: *ipsi autem non introierunt in Prætorium vt non contaminarentur, sed vt comederent Paschâ.* 4. ex eo quod cap. 19. dicatur: *erat autem parasceue Paschæ, & infra, Iudæi ergo, quoniam parasceue erat.*

Sed antequam ad rem veniamus Notandum 1. Græcos ex facto Christi non posse sufficienter intentum probare, non enim sequitur: Christus consecravit in fermentato, ergo repugnat diuinæ institutioni consecrare in azymo. nam quemadmodum asserunt Christum cōsecrationem panis perfecisse in fermentato, ita constat pro cōsecratione calicis assumpsisse vinum certi generis, & tamen non repugnat diuinæ institutioni sumere quodlibet vinum pro cōsecratione calicis; quamuis ergo concederetur Christum consecrasse in fermentato, nullo tamen modo inde præcisè concludi posset cōsecrationem in azymo repugnare diuinæ institutioni, quia ex nullo Concilio generali vel traditione Ecclesiæ potest ostendi quod Christus suo facto ita assumpserit panem sub certo statu pro materia cōsecrationis, & cōsecrationis corporis, vt sub nullo alio statu esset consecrabilis, vt ostendimus de vino. 2. Ex epist. citatâ Leonis 9. constat Ecclesiam à temporibus Apostolorum vsam fuisse azymis pro materia cōsecrationis, & eum ritum acceptum ab Apostolis, non potest autem sine maxima temeritate asseri statim à temporibus Apostolorum sumptam fuisse indebitam materiam pro cōsecratione corporis Christi, id enim grauissimum errorem contineret in Ecclesia. Confir. non potest asseri Apostolos recessisse à facto Christi in eo quod pertinet ad substantiam materiæ consecrabilis, ergo etiam si cōcederetur Christum consecrasse in fermentato, tamen ex facto & modo procedendi Apostolorum & primitiue Ecclesiæ deberemus colligere eum non ita sumpsisse panem fermentatum, vt ille solus esset materia legitima. 3. non sola Ecclesia Latina, sed & Græca initio videtur cōsecrasse in azymo: nam Epiphanius hæresi 30. disputans contra Ebionitas ante medium, de illis ait: *mysteria autem faciunt ad imitationem sanctorum in Ecclesia ab anno in annum per azymos, hoc est non fermentatos panes, & alteram mysterij partem per aquam solam.* 4. etiam si solum esset antiqua consuetudo Ecclesiæ Latinæ, ea deberet Græcis sufficere ad non asserendum diuinæ institutioni repugnare, præsertim cum eum more nunquam redarguerint antiqui Patres Græci sanctissimi, & doctissimi, quos mirum esset nunquam notasse errorem tam grauem & Ecclesiæ perniciosum, si quis fuisset. Adde quod ipsi Patres testibus Romana Ecclesia errare non possit, denique ea veritas constat ex definitione Conc. Flor. Græcis, qui Conc. intererant, approbantibus.

Ex his patet 1. quàm imprudenter Græci Schismatici ex Christi facto Ecclesiam Latinam redarguant, longè prudentius Latina Ecclesia approbauit praxim Græcorum, tanquam minime repugnantem diuinæ institutioni, quamuis existimet Christum in azymo consecrasse; intellexit enim non sic panem sumptum à Christo sub certo statu vt sub nullo alio esset consecrabilis, sed quemlibet panem siue azymum, siue fermentatum esse legitimam cōsecrationis materiam.

Patet 2. non tantum valere cōsecrationem panis azymi, sed etiâ licere, cū nō possit redargui tanquā illicitū quod ab Apostolis acceptū est, & ab initio Ecclesiæ in eadem vsurpatū. Adde quod licet initio Ecclesiæ cōsecratio fuisset facta in fermentato,

Qui more peregrinorum versantur inter alios, possunt morem suum seruare in celebrando.

31. Difficultas de ritu seruando.

Non tamē tenetur celebrare secundum ritum suæ Ecclesiæ. Explicatur Eugenius 4.

Obiectio ex Leon 9.

Resp.

Christum consecrasse in fermentato suadet. Primò.

Secundò, Ioan. 13.

Tertiò, Ioan. 18.

Quartò, Ioan. 19.

Esti Christus consecravit in fermentato, non colligitur non valere cōsecrationem in azymo. Primò.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

Quintò.

Sextò.

licet

licitè tamen Ecclesia Latina potuisset sumere azymum pro materia consecrationis. 1. ad redarguendos errores eorum qui existimabant non posse azymum consecrari. 2. propter maiorem convenientiam azymi cum puritate carnis Christi, quæ later in hoc Sacramento. 3. ad significandam puritatem, cum qua debemus ad hoc Sacramentum accedere. quamvis ergo Christus iustus de causis usus fuisset pane fermentato in institutione huius Sacramenti, isque usus aliquandiu in Ecclesia perseverasset, potuisset nihilominus ex causis allegatis, vel similibus eadem Ecclesia decernere, ut panis azymus sumeretur pro consecratione, quemadmodum constituitur sacrificium non nisi matutino tempore celebratur, & Sacramentum Eucharistiæ à ieiunio sumatur, non obstante eo quod Christus illud vesperi instituerit, & non ieiunio distribuerit.

Notandum 2. Græcos ex locis citatis & similibus insufficienter probare, Christum consecrasset in fermentato; solum enim concludi posset quod diem lege præfixum ad immolationem Agni Paschalis præveniret, non verò quod postmodum panem fermentatum comederit, præsertim eum ex facto Apostolorum non obscure possit colligi illum consecrasset in azymo, ex eo scilicet quod Apostoli in azymo consecrarent, & Ecclesiæ tradiderint, ut consecraret in azymo, ut habemus ex epist. Leonis citata, quia nullo modo credi potest Apostolos statim præscripturos fuisse Ecclesiæ consecrationem azymi, si Christus in fermentato consecrasset, cum non appareat ratio valde vrgens recedendi ab exemplo Christi, & de cætero convenientius fuisset illos factum Christi hac in parte imitari.

Ex quibus colligitur, quod licet nihil posset aliud responderi ad argumenta pro sententiâ Græcorum allata, id posset sufficere ad asserendum eos non sufficienter ostendere Christum consecrasset in fermentato, & proinde eos temere redarguere Ecclesiam Latinam quasi faciat contra Christi institutionem, & inualidè cõsecret in azymo. Sed, ut morem Ecclesiæ Latinæ defendamus, & positiuè ostendamus eam sese hac in parte Christo conformare:

Dico Christum consecrasset in azymo, quia scilicet Pascha celebravit luna 14. primi mensis ad vespem, iuxta legis præscriptum. pro cuius rei probatione

Notandum Exodi 12. præcipi filiis Israel educendis ex Aegypto, ut 14. die primi mensis ad vespem immolarent Agnum, cuiusque assum igni comederent cum panibus azymis & lactucis agrestibus, & eodem cap. dicitur: habebitis autem hunc diem in monumentum & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus vestris, quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, à primo die usque ad diem septimum. & infra, primo mense decima quarta die mensis ad vespem comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vespem. similia habentur cap. 13. & Levit. cap. 23. Ex quibus patet filios Israel præceptum divini legis debuisse singulis annis celebrare Pascha 14. luna primi mensis ad vespem (nam mensem incipiebant in novilunio) & deinceps debuisse per septem continuos dies uti azymo, ita ut sub pena mortis non liceret toto eo tempore uti fermentato.

Ex his ita ducitur argumentum & probatur conclusio 1. constat ex Evangelij Christum instituisse Sacramentum Eucharistiæ post cenam legalem, ex iisdem autem etiam ostenditur quod celebravit Pascha tempore lege præscripto, post quod

non erat licitus usus fermentati. ex quibus conficitur Christum hoc Sacramentum in azymo consecrasset. Minor in qua vis est, negatur à Græcis asserentibus Christum in esu Agni Paschalis cõsecratum diem prævenisse, atque adeo celebrasse Pascha 13. luna, postmodum autem potuisse uti fermentato, esseque verius quod usus fuerit, cum non esset usus azymorum extra tempus Paschale lege præscriptum. verum id esse commentum conuincitur potest ex Scripturâ; nam Matth. 26. dicitur: primâ autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Marci 14. & primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: quid vis edamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? Lucæ 22. venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Ioannem dicens: euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. & infra: euntes autem inueniunt, sicut dixit illis, & parauerunt Pascha. ex quibus constat Christum non prævenisse tempus lege præscriptum, cum Marcus dicat quando Pascha immolabant, id est, secundum legem immolare consueverant, & necesse erat occidi, ut Lucas.

Euthymius supra respondet primam diem azymorum vocari à Matthæo & Marco, non quo Pascha comedi debet, sed præcedentem, id est, decimum tertium. verum id nullâ ratione, vel solidâ auctoritate nititur, repugnatque communi modo loquendi, nunquam enim vocari solet primus dies alicuius mensis, vel septimanæ, qui est ultimus præcedentis.

Respondet etiam Lucas dixisse: venit autem dies azymorum, id est, instabat, sed neque hoc subsistit, cum in sententiâ à nobis citata Evangelista aliter loquatur, quam initio capitis, ubi dicit: appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha. unde colligi potest quando dicit, venit, non agere de die instante, sed de præsentē, ad cuius vespem necesse erat occidi & immolari Pascha.

Confir. Evangelistæ respiciunt ad caput 12. Exodi, ergo non sunt intelligendi de die præcedente, vel instante, sed de die lege præscripto iam præsentē. 2. dies præscriptus immolationi & cõsecrationi Agni Paschalis nullo modo poterat præueniri, nam quamvis Numerorum 9. illi, qui propter iustum impedimentum non potuerat celebrare Pascha 14. luna primi mensis, concederetur, ut secundo mense posset celebrare, is tamen debebat seruare diem 14. nec ante illum poterat celebrare. unde non potest solidè explicari primus dies azymorum, quo Christus Pascha celebravit, decimus tertius, seu dies præcedens diem lege præscriptum.

Confir. non est verisimile Christum obseruantissimum legis, qui eam in cæteris circumstantijs obseruauit, hanc neglexisse, præsertim cum nunquam à Pontificibus querentibus aliquam mortis causam id fuerit illi obiectum.

Probatur 2. conclusio ex Patribus, qui disertè censent Christum celebrasse tempore lege præscripto. Ambros. epist. 83. ante medium: ipse ergo, qui legem locutus est, postea veniens per virginem nouissimis temporibus plenitudinem legis consummat, quia venit non legem soluere, sed implere, & celebravit Pascha hebdomada in qua fuit quarta decima luna quinta feria, demque ipsa die (sicut superiora docent) Pascha cum discipulis manducauit, sequenti autem die hoc est sexta feria crucifixus est luna decima quinta. Chrys. hom. 85. in Matth. sub medium: non enim Christus

Matth. 26.

Marci 14.

Luc. 22.

36.

Impugnatur responsio Euthymij.

Num. 9.

37.

Prob. 2. ex PP.

Ambros.

Chrysost.

tempus

Hieron.

August.

Prob. 3.
Ambros.

Clem.

Chrys.

Leo.

Anselm.

38.
Responde-
tur Gracis.Ad primū,
responsio
quotidiana

Improbatur.

Responsio
Auctoris.

tempus Paschae transgressus est, sed illi audacissimi homines, & mille transgredientes leges praecepta, quoniam ita inflammari erant, & saepe conari capere ipsum, nihil facere potuerunt, ex insperato nati quod cupiebant, tempus Paschae transposuerunt, ut ardentes eade animos suos explerent. quā antithesi patet Chrysostomum existimare Christum comedis Agnum Paschalem die per legem praefixo. Hieron. in illud Matthaei: prima autem die azymorum. Prima azymorum decima quarta dies primi mensis est, quando Agnus immolatur, & luna plenissima est, & fermentum abijcitur. Aug. epist. 86. ad Caesulanum versus finem; Mattheus Evangelista primam sabbati dicit fuisse primam diem azymorum, quia eius vespere sequente futura erat cena Paschalis, in qua incipiebat azymum & omnis immolatio manducari.

Probatur 3. ex Ambr. supra dicente Christum crucifixum die sequente, postquam Pascha manducasset, eo quo patet manducasse Pascha 14. luna ad vespem. & ex his Patribus qui docent Christum occisum in die festo Iudaeorum, Clemente lib. 5. Constitutionum apostolicarum cap. 14. in ipso die festo Dominum comprehendunt, ut perduceretur ad exitum. Chrys. hom. 86. in Matth. in illa verba: factum autem die 3. quando interficere ipsum statuerunt & propter diem festum non poterant, ad Pilatum eum ducunt; tu vero considera quomodo res ita compulsae est, ut in die festo ageretur. idē fuisse docet S. Leo ferm. 7. de passione. quibus addi potest Anselmus qui in caput 26. Matth. disertē tradit Christū crucifixum luna 15. cū precedente nocte carnis, & sanguinis sui mysteria celebranda tradidit discipulis, quādo scilicet fermēto abiecto Agnum occidere ad vespem solebant, videri potest in illa verba: prima autem die azymorum.

Super est ut respondeamus ad argumenta initio pro sententiā Græcorum.

Ad primum respondent quidam Christum celebrasse Pascha decima quarta Luna ad vespem, id est die decimo quarto ad vespem, Iudaeos tamē eo anno solum celebrasse die decimo quinto ad vespem, & primum diem solemnem fuisse decimum sextum, quia dicunt quando dies solemnis Paschatis incidebat in feriam sextā, solebat transferri in sequentem diem, id est in diem sabbati, ne duo festi dies concurrerent, quod fieri poterat, ex dispensatione, ex qua responsione facile concidunt argumenta pro Gracis proposita, nam quamvis Christus Agnum Paschalem immolavit die per legem praescripto, atque adeo post Agni elum non fuerit usus fermentato, quia tamen respectu communis Iudaeorum poterat dici nondū esse Pascha, quando Christus occisus est, dici etiam potuit iuxta illorum Concilium non esse occisum in die festo. quā sententiam varij etiam recēiores post Paulum Burgensem amplectuntur. Verū nullā solidā auctoritate nititur, sed videtur inuentum Rabbiorum posteriorū saeculorum, cū Patres nihil simile indicent. adde iuxta illam sententiam non evitari incommodum, ad quod evitandum est excogitata: cū enim 12. Exodi statuatur, ut prima dies azymorum sit sancta, atque solemnis, & septima dies eadem solemnitate venerabilis, posita illā sententiā sequitur septimam diem incidere in feriam sextam, atque adeo duo festa futura continua. hac ergo sententiā reiectā

Respondeo, quodam ex Pharisaeis ita quidem censuisse, ut referunt Evangelistae, sed eorum sententiam non obtinuisse, & indicatū a pluribus non esse negligendam occasionem mortis Christi quocumque tēpore procurādā, vel si in Concilio obti-

nuerit postmodū ex occasione oblata per Iudā mutatu fuisse consiliū, & indicatū expedire hominem Reip. noxium & blasphemū occidere, nec praefermittendam occasionem propter aliquem fortē tumultus timorem. Certē non est quod tantū Pontificum religioni deferamus, ut dicamus eos non procurasse Christi mortem in die festo, cū infensissimum eorum odium in Christum suadeat illos facili sibi persuasuros fuisse etiam die festo Christum posse, & debere occidi, quā permittere elabi occasionem, ut Chrysostomus homilia 85. citata; qui tamen indicat non omnes, sed Pontifices diem Paschatis transposuisse, in quo illos culpatur.

Ad secundum Resp. propter eum locum Ioan. ad secūm aliquos Græcos censuisse, ceteros Evangelistas errare, & à Ioanne correctos, sed hoc manifestum errorem continet.

Dico ergo, quando beatus Ioannes dixit, ante diem festum, sumpsit diem festum pro decimo quinto die artificiali, qui totus erat solemnis. nam quamvis festa Iudaeorum celebrarentur ad vespem ad vespem, ut patet ex cap. 23. Leuit. id est, ab occasu solis praecedentis diei usque ad occasum sequentis, tamen is dies festus dicebatur, qui totus celebrabatur, & proinde quando fit mentio diei, non intelligitur dies, ut comprehendit primam vespem, sed ut comprehendit totum diem artificialem solemnem, ut patet 12. Exodi: dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima eadem solemnitate venerabilis. quo loco solum intelliguntur dies decima quinta, & vigesima prima artificiales, quod clarius patet cap. 23. Leuit. mense primo quarta decima die mensis ad vespem Phase Domini est, & quinta decima die mensis huius solemnitas azymorum Domini est, ubi aperte distinguitur dies festus à sua primā vespere. quando ergo Ioannes dicit: ante diem festum Pascha, perinde est, ac si diceret: ante diem solemnem Paschatis, seu primo die azymorum, rum ad vespem, ex quo patet nullam inter Evangelistas esse discrepantiam.

Ad tertium respondeo Evangelistam eo loco non agere de comestione Agni Paschalis, sed Pascha ibi sumi pro hostijs Paschalibus, quae scilicet toto tempore septem dierum Paschalium offerri solebant, quibus vesci non poterant immundi, ut ergo Iudaei sequentibus diebus hostias Paschales edere possent, noluerunt introire in Pratorium, ut non contaminarentur. pro quo

Notandum Pascha varijs modis sumi in Scriptura; 1. pro Agno Paschali Matth. 26. ubi Christus ait: manducate Pascha. Marci 14. quo Christus ait: manducate Pascha. Luc. 22. ubi ait: manducate Pascha. 2. pro die, quo immolabatur Agnus Paschalis, Leuit. 23. mense primo, decima quarta die mensis ad vespem Phase Domini est. Marci 14. erat autem Pascha, & azyma post biduum. 3. pro ipsa praecipua solemnitate Paschali, Leuit. 23. & quinta decima die mensis solemnitas azymorum Domini est. 4. pro toto tempore septem dierum Paschalium, Act. 12. volens post Pascha producere eum populo, id est volens post tempus Paschale, seu post dies azymorum producere eum populo. 5. pro varijs sacrificijs, quae toto tempore Paschali fiebant, de quibus Numerorum 28. ita facietis per singulos dies (septem scilicet) offeretis incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos & c. quorum in eodem c. supra fit mentio. vide etiam 2. Paralipomenon c. 35. hoc postremo sensu sumitur Pascha apud Ioannē c. 18. citato.

D V

Ad quartum respondeo pasceuen eo loco non referri ad Pascha, quasi fuerit pasceue Pascha; id est, preparatio ad Pascha, & dies praecedens diem solemnem Paschatis, sed referri ad sabbatum, quasi dicat Iohannes, quoniam pasceue erat, id est, dies praecedens sabbatum, seu quem immediate subsequeretur dies sabbati, Iudaei, ut non remaneret corpora in cruce sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati, ut ibidem subiungitur), rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. ex quo patet Christum non fuisse occisum ante solennitatem azymorum, seu ante decimum quintum diem, sed ipso die solemni & pridie sabbati, cum Gentilibus dies festos Iudaeorum parum curantibus, cum Pontificibus ex odio in Christum existimantibus se obsequium praestare Deo, si hominem sibi iniustum morti traderent, nec existimantibus se polli, si ipsimet morte non assicerent.

Dicitur verò pasceue Pascha, quia intra tempus Paschale incidebat, hoc sensu, erat pasceue sabbati intra tempus Paschale.

Obijcies 1. quòd Iosephus ab Arimathia, & Nicodemus sepelierunt Christum eo die quo occisus est, cum hæc non videantur potuisse fieri in festo solemni.

Resp. negando posteriorem partem assumpti, satis enim constat opera pietatis non fuisse illo die prohibita, ut ostendit Christus Phariseis Matth. 12. & alibi.

Nec refert quòd Exodi 12. dicatur: dies prima erit sancta, atque sollemnis, & dies septima eadem sollemnitate venerabilis, nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent. quia per hæc solum prohibebantur seculia, ut patet Levit. 23. dies primus est vobis celebrissimus sanctusque, omne opus servile non facietis in eo. hæc etiam solum prohibebantur in sabbato, in quo peculiariter etiam prohibebatur preparare cibaria ad manducandum & ignem accendere, ut patet ex cap. 16. & 35. Exodi.

Cur ergo tam festinanter sepelierunt, si id in sabbato non prohibebatur?

Resp. fecisse ex deuotione & reuerentia erga Christum, ut scilicet non remaneret diu inhumatus, cum enim iam esset de cruce depositus, iudicantur decentius hoc obsequium eodem die illi præstare.

Adde quòd fortè fuissent reprehensi à Phariseis, si die sabbati inhumassent; nam fortè hi ex falsæ legis interpretatione existimabant id in sabbato non esse licitum: ex quâ fortè persuasione petierunt à Pilato, ut pridie sabbati frangeretur crura crucifixorum, quamvis ad hoc postea Pontifices moniti ponerent ex lege Deuteronomij 21. quâ statutum erat, ut cadauer appensi in patibulo eadem die sepeliretur.

Obijcies 2. ab eâ die, quâ offerbantur manipuli primarum frugum, 50. dies numerabantur usque ad diem Pentecostes, ut patet ex cap. 23. Levit. quod confiteri non potest, si Christus in die festo passus est, quia die insequenti debuissent offerri manipuli; id est septimo die septimanæ, seu die sabbati, quibus si addantur dies 49. habebimus tota ut quinquagesimus incidat in diem sabbatum, tamen dies Pentecostes, seu quinquagesimus incidit in Dominicum.

Resp. 1. id nullo modo fauere Græcis, ut per se patet, cum hi non negent quintâ decimâ lunâ, quæ incidebat in sextam feriam, fuisse primum diem solemnem azymorum, sed ut summum fauere

sententiæ assentientium eo anno diem festum tenatum fuisse in sabbato. Sed

Resp. 2. nihil eorum sententiæ patrocinari, quia dici potest cum Ribera lib. 5. de Templo, cap. 7. diem, in quo manipulus erat offerendus, inter quinquaginta non fuisse computandum, sed quinquaginta dies numerandos ab illo exclusæ, quod utcumque indicat cap. 23. citatum, ubi dicitur: numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expirationis hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium Domino ex omnibus habitaculis vestris. ex quo fit verisimile quinquaginta dies numerandos excluso secundo die azymorum, in quo manipulus erat offerendus, atque adeo festo azymorum incidente in feriam sextam & sabbato sequente oblato manipulo primitiarum, si septem plenis septimanis vnus dies addatur, Pentecosten eo anno incidisse in Dominicum diem, si cui non ardeat hæc responsio, dicere potest cum quibusdam, licet Pentecoste Iudæorum eo anno incidit in sabbatum, Christianos tamen celebrasse in Dominica, & quinquaginta dies numerasse non à die manipulorum, sed à Dominica Resurrectionis, & Lucam in Actis Apostolorum egisse de Pentecoste Christianorum. vide Corneliolum in locum Levit. citatum, circa versum 15.

Obijcies 3. quòd Agnus Paschalis fuerit immolatus decima quarta ad vespèram, cum ergo eius immolatio fuerit figura passionis Christi, debuit Christus decima quarta crucifigi, atque adeo Sacramentum Eucharistiæ instituit decima tertia.

Resp. non esse necesse rem ipsam in omnibus circumstantiis conuenire cum figurâ, nam constat aliâ horâ Christum crucifixum, quàm Agnus Paschalis immolari solet. potuit ergo alio die naturali immolari Agnus Paschalis, & alio Christus crucifigi. adde tamen dici posse in hoc conuenire, quòd Christi passio decimâ quartâ lunâ inchoata fuerit, Iudæis cum Iuda de eius morte tractantibus.

Obijcies 4. Chrysostomus homilia 82. in Ioan. post medium, ad illa verba, non tamen ingrediuntur in Pretorium, ait: sed quid significat, ut manducarent Pascha? at qui Iesus iam id fecerat vna die azymorum, siue ergo Pascha totam appellat sollemnitatem, siue quâ tunc faciebant, Christus autem pridie, eadem suam in pasceuen versuans, quoniam antiquitus celebratum erat. propter hoc argumentum aliqui existimant Chrysostomum fauere Græcorum sententiæ existimantium Christum decimâ tertîâ lunâ Agnum Paschalem immolasse.

Sed ex hoc loco obscuro non est quòd contra apertum locum eiusdem Patris homilia 85. citatâ asseramus eum ita censuisse, cum satis clarè idem repetat homilia 82. in Matth. dicens: primam diem azymorum eam diem vocat, quâ ante azyma erat, consueverunt enim à vespere semper dies numerare, & eius mentionem facit in vespere, cuius Pascha erat immolandum. ubi docet ideo vespèram, quâ Pascha secundum legem erat immolandum, vocari primam azymorum, licet non pertineret ad decimam quintam diem naturalem, quia Iudæi à vespere dies, scilicet festos, solebant inchoare; ergo iuxta Chrysostomum Christus manducauit Agnum Paschalem pridie diei sollemnis naturalis azymorum, id est, decimi quinti, & per consequens decimâ quartâ lunâ ad vespèram.

Ad locum ex homilia 82. citatum dici potest

Verisimilliter 50 dies numerandi erant excluso secundo die azymorum.

Die etiam potest Pentecoste Iudæorum incidisse in sabbatum; Christianos tamen celebrasse in Dominica.

41. Obiectio 3.

Resp.

Obiectio 4. Chrysost.

Locus obscurus perclarum explicari debet.

Resp.

Chrysost.

Chryf. nolle Christum præuenisse diem lege præscriptum in esu Agni Paschalis, sed præuenisse diem, quo Pontifices Pascha comederunt, quos censet transposuisse diem (vt supra vidimus) homilia 85. in Matth. hoc sensu, Pascha, quod Christus celebravit, quando antiquitus celebratum erat, id est die per legem præscripto, Pontifices distulerunt, ita vt illud, quando antiquitus celebratum erat, non referatur ad passionem Christi, quam reseruavit in pasceuen, id est decimi quinti diei sollemnis, sed referatur ad illud: *Christus pridie*, scilicet Pascha celebravit, prout lege celebrari debet & solet, & illud, eadem suam in pasceuen reseruans, sit quasi paræthesis & dicatur ad imitationem Ioannis Euangelistæ de pasceue sabbati.

Confit. quia si Chryf. existimaret Christum decima tertiâ immolasse Agnum Paschalem, non diceret homilia 85. citatâ, Principes Iudeorū præuicatos fuisse, ac aliâ die Pascha comedisse, nec diceret illos neglexisse eâ nocte comedere, si enim comedisset Pascha decima tertiâ die, quo tempore Iudei tractassent de eo periendo, non potuissent dici præuicari in legem de comestione Agni Paschalis &c. cum nondum tempus aduenisset.

Obijcies 5. Anselmum cap. 27. in Matth. sub finem dicentem Christum fuisse crucifixum die quo Agnus Paschalis immolabatur.

Resp. ex cap. 26. in illa verba, *primâ autem die azymorum*, satis constare Anselmum existimare Christum decimaquartâ lunâ comedisse Agnum Paschalem iuxta legem Moyfi, & decimaquintâ die fuisse crucifixum, vnde dico meritò posse dubitari num id, quod in obiectione ponitur, adiectum sit ab aliquo errori Græcorum fauente, cum repugnet dictis cap. 26. Certè Græci non possunt præsidium ex Anselmo querere, cum in opusculo de fermentato & azymo disertè illis aduersetur.

Obijcies 6. Tertull. lib. contra Iudæos cap. 10. in fine docentem adimpletum esse, vt primâ die azymorum Iudæi Christum interficerent.

Resp. per primam diem azymorum Tertull. vel intellexisse primam diem solemnem Paschalem, id est decimam quintam, vel velle Iudæos interfecisse primâ azymorum, id est decima quartâ lunâ, eò quod tunc tractarent de illo morti tradendo, quâ ratione etiam alij possunt intelligi. aliqui etiam qui citari solent, non tam agunt de immolatione reali Christi per mortem, quàm de typicâ, seu figuratiuâ per immolationem Agni Paschalis, qui decima quartâ lunâ solebat occidi.

Ex his omnibus habemus Christum comedisse Agnum Paschalem decima quartâ lunâ & vespertam, quando omne fermentum abijci debebat, & proinde confecisse Eucharistiam in azymo, immò & Iudæos suum Pascha eodem die inchoasse.

ARTICVLVS V.

Virum vinum vitis sit propria materia huius Sacramenti?

SCILICET respectu consecrationis calicis.

Affirmat. Notandum Ebionitas, teste Epiphanio hæresi 30. ante medium, pro consecratione calicis vt solitos aquâ purâ, in quo errore versati sunt etiam ij, quos August. lib. de hæresibus, hæresi 64. vocat

Aquarios, contra quos etiam videtur agere Cypr. epist. 63. seu lib. 2. epist. 3.

Sed conclusio D. Thom. est de fide, tradita in Concilio Florent. decreto de Sacramentis, vbi dicitur: *tertium est Eucharistia Sacramentum, cuius materia est panis triticus, & vinum de vite.* & in Lateranensi, & refertur cap. *firmiter* §. *una*, de summa Trinitate. insinuat etiam cap. cum *Marthæ* §. *quasi*. C. *firmis*, de celebratione missarum, estque communis Doctorum. Congruentia est quod per vinum vitis optimè significetur effectus huius Sacramenti, qui est spiritualis animæ læticia.

Ex hac doctrinâ varia inferuntur, 1. quod sit irrita consecratio attentata in solâ aquâ, ceruisia, scera, in liquore expresso ex moris, malogranatis, herbis, & similibus: quia nihil horum est vinum, vide D. Th. responsione ad 1.

2. Quod sit irrita attentata in aceto: quia verè non est vinum, vt responsione ad 2. neque repugnat Innoc. lib. 3. 4. de Sacramento altaris cap. 11. docens ex aceto posse hoc Sacramentum confici, quia, vt patet ex textu, per *acetum*, intelligit vinum acidum, seu acensens de quo paulò post.

3. Esse irritam in agresta seu omphacio, vt responsione ad 3.

4. Consecrationem non posse perfici in uis, vt communiter Doctores cum D. Th. ad 3. nam quamuis vinum ex uis maturis confici possit, ipse tamen non sunt vinum, neque prudenti iudicio censetur vinum, vel potus, sed sunt cibus etiam si pellicula detrahatur, vnde ne quidem eâ detractâ valide possunt consecrari. nam vinum est succus ex uis maturis expressus.

E contrario verò ex omni vero vino valide fit consecratio calicis, siue vinum vnum ab alio specie distinguatur, siue non licet enim detur specifica differentia, vnumquodque est verum vinum, dummodo sit de vite, nec amplius requirit huius Sacramenti institutio.

Ex quo inferitur valide fieri consecrationem in vino acensente, vt D. Th. responsione ad 2. quia est verum vinum, quamuis tendens ad interitum, cente. prudenter tamen considerandum ex qualitatibus, num natura vini certò remaneat. si enim tanta esset alteratio, vt meritò posset dubitari num esset vinum, an verò esset acetum, graue esset peccatum illud consecrare, cum Sacramentum redderetur dubium, neque in hoc casu videtur necessitas excusare à sacrilegio. Vnde nec potest fieri consecratio in vino dubio, vt alij sacrum die festo vel Dominico audiât, vel vt alijs præbeatur communio, nam reuerentia huic Sacramento debita magis vrget, vt conficiatur in certa materia, quàm vt geat adimpletio præcepti ecclesiastici auditionis sacri, vel diuini communionis. neque enim hæc aliter obligant, quàm si sacrificium & Sacramentum perfici possit.

Graue etiam est peccatum consecrare vinum alijs liquoribus permixtum, vel etiam aromatibus, quamuis consecratio ex eo capite non redderetur dubia; tum quia est contra communem consuetudinem, quæ censetur grauer obligare, tum quia grauem continet indecentiam alia permiscere materia consecrabilis, immò existimo esse indecens consecrare vinum acensens, si aliud commode possit obtineri.

Infero 2. posse valide confici Sacramentum in musto, vt D. Th. ad 3. & communiter Doctores, videri potest can. cum omne, de consecratione, dist. 2. ratio est quod mustum sit verum vinum.

Aduerte